



7/
1742
308

D. D. B. V.
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO AC DOMINO,
DN. FRIDERICO AVGVSTO,
ELECT. SAXON. HEREDE.
DISSERTATIONEM INAUGURALEM,
DE
PLICA POLONICA,

Germ.
WESSESSESSS
EX AUCTORITATE

Gratiosæ Facultatis Medicæ,
PRÆSIDE

DN. PAULO GOTTFR. SPERLINGIO,
Med. Doct. Anatom. ac Botan. Prof. Publ. longe cele-
berrimo, nec non Archiatro Principis Servestani
splendidissimo,

Domino ac Patrono suo in æternum de venerando,

PRO LICENTIA,
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES, INSIGNIA
AC PRIVILEGIA
DOCTORATUS

LEGITIME CAPESSENDI,
A se conscriptam, publico Eruditorum examini subijcit

IOANNES HUNZESCH
Plesnensis Silesius,

Ad d. Septembr. A. O. R. c17 1742.

IN AUDITORIO MAIORI,
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM STATIS.

WITTENBERGÆ, Typis CHRISTIANI GERDESII.

ILLVSTRISSIMO ET CELSISSIMO DOMINO,
DOMINO
BALTHASARIERDMANNO,
S. R. I. COMITI A **PRONNZZZ**
LIBERO BARONI

Dynastiarum Plesnensis, Soraviensis, Tri-
belenensis, & Naumburgensis. Domino in Drehna, &
Klitzdorff, ut & Hereditario in Halbau, Kuhnau,
& Buhrau, &c. &c.

Nec non EJUSDEM FILIIS,
ILLVSTRISSIMIS ATQVE CELSISSIMIS DOMINIS,

DN. **ERDMANNO** FRATRIBUS,
FRIDERICO
S. R. I. COMITIBUS A **PRONNZZZ**
LIBERIS BARONIBUS


Dynastiarum Plesnensis, Soraviensis, Tri-
belenensis, Naumburgensis. Dominis in Drehna, &
Klitzdorff, nec non Hereditariis in Halbau, Kuhnau,
& Buhrau, &c. &c.

DOMINIS SVIS GRATIOSISSIMIS CLEMENTISSIMISQVE,
EVERGETIS BENIGNISSIMIS, PROMOTORIBVS
MAXIMIS,

In publicum devotissimi Animi, submissæque Pietatis
testimonium,

DISSERTATIONEM HANC SOLENNEM,
atque Primitias, VESTRIS jam NOMINIBUS sacratas
devote offert, dedicat,
confecrat

Humillimus Client
JO. **HPNZZZ**



PROOEMIUM.



Miserum humanæ vitæ curriculum, illustris medicorum Princeps Hippocr. in Epistola ad Damaget. exarata, his verbis innuit, in-
quiens: ὁλος ἀνθρώπος ἐκ γενετῆς
νόσος ἐστίν. Verba hæc profecto
ipsa veritas sunt, cum quisque
suos patiatnr manes, atqve om-
nis ætas humana non tantum variis alterationibus
sit obnoxia, verum insuper multigenis exponatur fa-
ctorum violentiis. Nec plura, nec specialiora in præ-
sentiarum dixero, de variis morbis, machinam hanc
humanam, machinarum artificiosissimam, afficienti-
bus, cum ipsa farrago affectuum innumerabilis fere
existat, nec temporis ratio, speciminisqve perbrevis
prolixitas jubeat. Postquam ex eo unico, jamjam per-
tractando, affectu, ipsa calamitas generis humani cla-
re apparebit. Sed ut pateat, in quo imprimis sanita-
tis & morbi ratio machinæ istius consistat, dictu equi-
dem facile erit, modo verba Divini, supra laudati, *Senis*
accuratius contemplemur, quando *lib. de Nat. Hominis,*
A 2 de

de Sanitate & morbo in genere adfert, quæ, antequam propositam dissertationem aggrediar, in mentem revocare lubet. Verba hæc sunt: *Tunc maxime Homo Sanus est, ubi temperamentum humores inter se habent moderatum, tum facultate, tum copia, & ubi maxime fuerint permixti: agrotant autem ubi horum quid minus aut amplius est, aut segregatum in corpore, nec est reliquis omnibus contemperatum. Neesse est enim ubi quid horum secretum fuerit, & per se steterit, non solum eum locum, in quo stat, & unde secescit, morbidum fieri; Sed & in quem, propter nimiam copiam, diffusum est, dolore & morbo vexari.* Ex hoc quippe fonte, uti sanitatis vera apparet ratio, sic non dubitandum, quin & vera causa his in verbis morborum deprompta fuerit. Quocirca ex Dissertatione nostra proponendam Luem maxime sævam, nomine Plicæ Polonicæ notam, eo quoque referimus. Cum natura atque indoles, uti plurimorum, ita & hujus affectus, in soluto mixtionis humorum vitalium vinculo potissimum consistat, quo namque bene habente, bene valent actiones, contra vero existente, contrarium experiuntur. Affectus hic non perparum certe eo laborantibus molestus, & ipso Chironio vulnere deterior, non enim sævisisimis tantum doloribus, iisque arthriticis torquet, verum & insuper convulsionibus, inflammationibus, cardialgia, lassitudine, capillorum intricationibus, aliisque malis infinitis afficit; imo ipsas Regiones contagione quafi proserpendo, præsertim Regnum Sarmatiæ depopulatur. Ut proinde quo periculosior, ratione symptomniatum, hic affectus censendus, eo altioris scrutiniû, & indaginis habendus sit. Hujus igitur *Σεωγία & Σεγα-
πεία*

πείαν invicti hostis istius truculenti ad nostram usque memoriam, sub incudem Disputationis Solennis atque speciminis loco, cum quædam publice differenda, mihi injuncta sint, revocare animus est. Cum vero curta admodum sit suppellex nostri judicii, pias ad inexhaustam omnis sapientiæ ac scientiæ scaturiginem, DEUM T. O. M. creatorem omnium, mentes erigimus, devotissimisque illum oneramus suspiriis, ut Spiritum Sanctum, Divinum illud *χάρισμα*, quod nobiscum sit, & nobiscum laboret, ex altissimo suo throno mittat, quo laboris nostri progressus dirigatur ad gloriosissimam, gloriosissimæ suæ majestatis Gloriam, atque gratissimam langventium & periclitantium salutem. Et hoc confisi juvamine, ipsam rem aggredimur, publiceque *ξηρήσει* exponimus.

§. I.

INitio ipsam vocabulorum significationem præmittimus, quæ, ne quis in tractanda re decipiat, ignoranda non est, quicquid etiam contradicat *Galenus*, quando inquit *6. m. m. 1. nec ille, cui scientiæ cura cordique est, de nomenclatura sollicitus debet esse atque anxius.* Intellectis enim significationibus vocabulorum, tanto felicius rem ipsam intelligere, intellectam facilius determinare possumus. Quare ante quam ipsam definitionem aggrediar, præter hujus affectus historicam descriptionem, tria primum consideranda erunt: *παρωνομία*, nominis derivatio: *ὁμωνομία*, nominis multiplex significatio: *συωνομία*, nominis cum aliis in significatione communio. Paronymiam quod attinet, cuilibet sine omni dubio clare appare

parere existimo, ipsam vocem Plicam, a verbo plico vel complico descendere, quod instar plicarum capillos inter se contorqueat. Plica Polonica vero dicitur, quod Polonis, & inprimis illis, qui inter Hungariam & Pocium habitant, familiaris sit, & vere endemia.

§. II.

Certum enim est dari quasdam Regiones, in quibus modo hic, modo ille morbus specialiter præ aliis regnat, ut quasi jure proprio sibi easdem vindicet. Hos proinde morbos Medici endemios sive patrios atque vernaculos vocant, quod a causa quidem communi, verum certæ alicui regioni propria, proficiantur. Talis morbus a Plinio Sceletyrbe & Stomacace, a Recentioribus Scorbutus dictus, ad septentrionalis maris littus habitantibus, communis est. Tales Hispanis & Italis, præcipue vero in Agro Pergamenensi, ut & montium Pyrenæorum, Alpiumque Accolis familiares sunt tumores glandularum colli, quos strumas appellant; Lusitanis vero & Anglis Phthisis; Ægypto Pestis, atque Sarcocele, sive Hernia testicularum carnosa; Galliæ Narbonensi Hydrocele; Arabibus Lepra; Græcis, nec non Alexandrinis, ut refert, Galenus Elephantiasis dictus; Americanis Lues venerea; Zonam frigidam inhabitantibus Perniones; Medinæ Dracunculi, sive vermes in partibus variis carnosus; Apuliæ & Calabriæ Tarantismus, ab ictu Tarantulæ; Neapolitanis Podagra magis est cognita. Judæos inprimis Lepra contagiosa divexatos fuisse, S. Scriptura testatur.

§. III. Quem-

§. III.

Quemadmodum igitur cuilibet Regioni jam recensita, sibi proprius atque vernaculus inest morbus, ita & Polonis Plica illa patria est. Nec tamen dixerò, hos affectus tantummodo atque unice his in Regionibus grassari, quin & alias interdum occupent, huiusque Accolas divexent. Ut recte refert *Schenkius obs. med. lib. 1. obs. 13.* quando etiam Brisgois, Alsatia, Belgis, nonnullisque Rheni tractibus, præter Poloniam, Plicam inveniri, scribit. Imo & in Hungaria cognitam esse, experientia docet. In ea enim animalia, quod observatione dignum, hoc malo infesta deprehenduntur, præsertim equos, lea complicatione crinium detentos, se vidisse testatur *Sennerius, Prax. l. 5. med. p. 3. sect. 2. cap. 9. s. 326.* quando scribit, Ducem quendam militum talem equum ex Hungaria Dresdam adduxisse, qui ejusmodi cirrum a collo ad pedes usque pendulum habuit. Imo in Saxonia etiam equi plica laborantes quandoque reperiuntur, licet rarius, cum nuper admodum Excellentissimus Dominus Præses talem observaverit. Non tamen inde sequitur hunc affectum Polonis non esse peculiarem, ut voluit Excell. ille Vir, Hercul. Saxonia in Tr. fito de Plica. Cum multi & apud nos grassentur morbi, qui aliis in Regionibus endemii sunt.

§. IV.

Quoad Homonymiam. Hæc Plica perraro imo nunquam aliud quippiam significat, præterquam morbum illum, cum intricacione capillorum conjunctum, nec facile cum aliis affectibus confundi potest, quamvis ratione unius alteriusve symptomatis, cum alio

alio affectu convenire videatur, uti mox morbi diagnosis latius docebit. Nihilominus parum attinet de hac ipsa dixisse, cum hæc tantum symptomata cum aliis affectibus communia sint, nec destruant ipsam naturam nostri morbi. Exercitii tamen gratia, si placuerit, per me quoque licebit, si eandem Plicam, vel γεννιάς, sive generaliter, vel ειδιάς, specialiter sumseris. Posterius tantum ipsum capillitium in cirros complicatum denotabit. Prius affert identidem pilorum intricationem, hincque oriundum affectum Plicam nominatum, eam tamen promiscue, variis in partibus, sive in quacunque tandem parte sit, existentem.

§. V.

Triplex autem hujus implicationis desumitur differentia, satis quippe ridicula, & nullius usus, ab Autoribus conscripta, ne tamen eam tacite transeundo omisisse videar, apponere volui. Quæ a modo complicationis in primis diverso oritur; hinc alia Mas nuncupatur; Foemina alia; alia Filia. Plica Mas ab Autoribus dicitur, in qua capilli, & barbæ pili, spicarum aut clavorum instar complicantur, & Mas nominatur, quia mares potissimum corripit. In qua autem capilli omnes in unam massam coeunt, in modum caudæ equinæ, Foemina appellatur. In qua vero unguës tandem dolore vexantur, quam diu capillorum intricatio durat, Filia nomine venit. Quam tamen differentiam complicationis nos non sequimur, & quocunque tandem modo eveniat capillorum contorsio, nil aliud quippiam denotare, quam affectum illum, nomine Plicæ notum, existimamus.

§. VI. Hu-

§. VI.

Hujus Synonyma sunt: Morbus cirrorum, quia capilli intricati cirros repræsentant, & secti in plica, nonnunquam sanguinem fundunt. Tricæ Incuborum, quia ab incubis noctu vulgus fugi existimat. Trica sive Cincinni, habita ratione implicationis. Scropharum Tricæ, ob similitudinem, quam habent cum tricis pilorum in collis scropharum observatis. Alii a loco denominant, nimirum Luem Pocutiensem, quod imprimis Polonos, inter Hungariam & Pocutium habitantes, invadat, uti supra dictum est. Germanis die *Marenflechten* / die *Marenwirkung* / der *Schrottlings-Zopff* / die *Marenlocken* audit, quæ etiam a varia, in plicas pilorum configuratione, non secus ac Latina, jam dicta nomina, proveniunt. Porro *Juden-Zöpfe* nominatur, quod ab Incubo Judæi specie fieri autumentur, item *Wichtel-Zöpfe* / quod superstitiose credebantur ab infantibus non baptizatis, (quos Antiquitas *Wichteln* nominabat) necti, & quæ sunt alia ridicula. Præstat vero rem ipsam genuino vocabulo insigniri, atque id, quod cum re consentit, præferre. Quapropter hoc unicum nomen, omnibus aliis præferimus, quando Germanis, affectus ille gravis *Weichsel-Zopff* nominatur, hoc enim modis cum ipsa causa convenit, cum imprimis malum hoc a Fluvio Vistula, Germanis *Weichsel* nominato, oriatur, ut infra dicam. Polonis *Gwozdziec*, quod clavum: Roxolanis *Koltun*, quod paxillum, significat, dicitur, eo, quod crines convoluti capite propendeant instar paxilli, qui *Kolek* appellatur. *Koltun* vero nominant, quod cirros repræsentet. Cirrus enim

B

Polo-

Polonis *Koltek* nuncupatur. Mulieres vero Polonorum honestiori insigniunt vocabulo, eoqve *Gostice*, & *Gosc*, quasi dixeris hospitem, vel hospitem. Quod quasi hospes in Poloniam, ex Roxolania, venerit.

§. VII.

De loco, tempore, & ubi primum inceperit Plica, nil certi apud Autores habemus, quamvis *Theophilus Bonetus*, in sua Medicina Septentr. collat. *Jochimum Pastorium in Floro Polonico lib. 2. c. 14.* aliosque Recentiores allegaverit, quorum plerique initium hujus morbi in Annum Christi MCCLXXXVII. ponunt. Illud tamen ex *Hercul. Saxonia* colligere licet, prima ejus semina in Podolia propululasse. In Podolia vero & Pocutio affectus hic, quamvis incerto tempore, tamen diu extitit. In Germania, eodem allegante Autore, dudum, & quidem anno MDLXIV. notus fuit. Quod & observatio *Joannis Stadleri* confirmat, quæ ab Autore, in suo de Plica Tr. allegata est. Quicquid vero tandem sit, parum intererit hæc nosse. Satis etenim est scire, affectum hunc novum non esse, ut recte innuit *Sennertus*, quamvis Poloni contrarium existiment, cum ipse *Rodericus Fonsæca*, atque *Hercul. Saxonia*, observatione inprimis, jam supra allegata, contrarium testentur, cum causæ morbum constituentes, multis retro seculis adesse potuerint. Si enim Medici, qui eum literis consignarent, vel defuere, vel propter raritatem neglexere, nihil inde est colligendum.

§. VIII.

Enodata jam uti nominis, ita & affectus istius origine, ad ipsam definitionem progredimur, dicentes: *Plicam Polonicam esse quoddam cachexis & Scorbuti genus,*

genus, quo non solum capilli & barba pili quasi visco ob-
liti, in tricas, cirros, & funiculos inexplicabiles concre-
scunt, sed etiam corpus univcrsum saepe, doloribus & sym-
ptomatibus aliis gravissimis affligitur, a cacochymia san-
guinis, & hinc oriente transpiratione viscosa valde glutinosaque, proveniens.

§. IX.

Dixi esse quoddam cachexiæ & scorbuti genus, inprimis si considerem causam effectricem, tam antecedentem, quam proximam, quibuscum penitus convenit, ut ipsa symptomata dilucide demonstrare possunt. Profecto gravis hic affectus est, præcipue capillorum, cum quasi in gorgoneos inexplicabiles nodose eos intorqueri videas. Gravis porro est langventi, cum gravissimis doloribus, atque symptomatibus sæpissime eum urgeat, uti commemorat *Laurentius Starnigelius*, *Academiæ Zamosciensis Professor*, in literis ad *Medicos Patavinos* datis, quæ apud *Sennertum Pr. I. V. part. 3. sect. 2. c. 9. legi possunt*. Sic enim habent verba: *Magno omnium malo, magnoque cruciatu divagatur. Infringit ossa, laxat artus: vertebrae eorum infestæ: membra conglobat, ac retorquet: gibbos efficit: pediculos fundit: caputque aliis, atque aliis succedentibus ita opplet, ut nequaquam purgari possit. Si cinni radantur, humor ille & virus in corpus relabitur, & affectos, ut supra scriptum est, corquet, caput, pedes, manus, omnes artus, omnes juncturas, omnes corporis partes ita exagitat. Et paulo post addit: Malum hoc cum exhalatione fuliginosa, ex qua nascuntur crines communicat, videturque cum tineâ affinitatem habere: atque cruciatu ossium, cum Gallica lue: cum phthiriasi, redundatione vermium: cum artibrivide,*

artuum dolore: cum spasmo, contractione miserabili membrorum. Et hæc sunt horrenda illa symptomata, quibuscum homo affectus divexatur, nec tamen ea sufficere, quin & alia succedant, *Sennertus l. c.* loquitur, inquit: *Et unguës præcipue in pedibus, & maxime pollicibus vitiantur, scabri, longi, & nigri fiunt, cornu instar hircini.* Hæc autem omnia magis excruciant ægros, ubi capillorum intricatio adhuc in fieri est, ubi vero jam incrispati atque convoluti sunt capilli, vel ad tempus cessant, vel quoadantenus minuuntur.

§. X.

Ex quibus itaque facile intelligimus, fomitem morbi ipso in humorum, vitalium circulo, sive sanguine, hære, huncque partem primario affectam atque subiectum constituere. Secus ac *Bonetus* atque alii existimant, quando hepar, cum aliis partibus, sanguificationi destinatis, subiectum hujus mali radicale constituunt, cum potius mere passive, hocce in affectu, hæ partes sese habeant, & suam constitutionem pravam, a sanguine potissimum, tum quantitate, qualitate, motu, cum nexu particularum componentium vitiato, recipiant; inde enim & malus corporis habitus, pallor, atque livor, quæ adesse in sic affectis, testantur autores, pendet.

§. XI.

Causas vero, quibus, ad concipiendos affectus hos, sanguis promptus paratur, adventitias esse, atque ex sex rebus non naturalibus, vulgo sic dictis, petendas, existimo. Antequam vero ipsas perlustremus, non negligenda sua cujuslibet Dispositio naturalis, sive Temperamentum quod vocant, quod quippe multum

multum ad morbos varios suscipiendos contribuit, imo ab utero labem imprimente hæreditarios morbos infantes secum tulisse, vel si non tulerint, mox ab hinc morbos factos, sicque per totum decursum vitæ læsos fuisse, præter rationem atque experientiam, ipsa docet autoritas. Sic enim *Sennertus testatur lib. 5. med. pract. p. 3. sect. 2. c. 9. de Plica, se Generosi cujusdam Polonia Comitum, plica laborantis, filium Sexennem, plicas jam aliquot in pilis habentem, vidisse.* Merito itaque eandem conformationem naturalem inter causas, quibus malum hoc excitari potest, easque observatione maxime dignas, numeramus.

§. XII.

Hanc porro excipit aër, cui jam olim tantum ab *Hippocrate* tributum est, ut *mortalibus vitæ, morborum autem ægrotis, auctorem esse pronunciauerit, lib. 2. de morbo Sacro.* Cui adstipulatur *Vallesius in Comment. ad 1. 1. Epidem. Sect. 1.* quando inquit, aër *intemperatus, recte causa morborum communium, tum naturis, tum ætatis, tum sexibus, dici potest.* Is igitur vel qualitate vitata, vel inquinamenti suis, ad morbos corpus nostrum disponit: qualitate, si vel impense calidus, humidus, vel frigidus, nebulosus, vel crassus fuerit. Priori enim modo humores exagitando, partem subtiliorem exhaurit, ut partes lymphæ crassiores atque terreae in corpore relinquantur, auctores variarum obstructionum viscerum. Posteriori modo humores adhuc fluxiles increassando, coagulando, fibrasque emolliendo atque laxando, eadem prorsus mala producit. Sed magis nobis infensus est, inquinamenti refertus, atque vitiatu, quibus quippe varie

nos afficit, pro vario motu, vi, & figura partium insensibilium. Hoc enim modo non tantum humores in motu atqve mixtione sua turbat, verum etiam partium solidarum contextum variis modis labefactat.

§. XIII.

Alterum merentur locum Cibus & Potus. In cibo enim si modus non observatur, variis modis mali causa existit. *Nimia enim copia assumtus, non secus corpora, quam meretrix adolescentium mentes, ad perniciem adducit. Mercat. Tom. 1. l. 2. de Sanitate. Morbos & Mortes creat, inquit Hippocrat. l. de affect. & apb. 17. §. 2.* Quare Medium tenere Beati. Nam uti cibus, in proportionata quantitate assumtus, motum humorum instaurat, perditum restituit, atqve vires reficit, ipsamque machinam in debito suarum partium contextu, atqve statu naturali conservat: Sic econtra-rio majore copia ingurgitatus, sine discrimine masticationis deglutitur, praesertim si induratus, infumatus, atqve salitus, vel aliis vitiis inquinatus fuerit, non tantum chylicationem, hincqve oriundum humorum velociorem motum, atqve virium restauracionem impedit, verum etiam variis cruditatibus, proque ratione earum, variis morbis corpus infestat. Ipsam itaqve lympham ventriculi labefactat, cum non sit par tantis cibis exsolvendis, & recte chymicorum regula doceat, quod menstrua tantum solvant, quantum possunt. Proinde non exsoluti satis cibi, chylum fordibus inficiunt, ipsamque humorum massam sibi similem reddunt. Ut recte nobis inferre liceat, cum *Cl. Hoffmanno: qualis cibus, talis chylus, qualis chylus,*

*ebylus, talis massa humorum, talis quoque sanitas, & hinc quoque plicam hanc resultare posse, nemo inficiabitur. Idem iudicium esto de potu, præsertim Spiritus Vini, atque aliorum liquorum ardentium, quibus quippe Poloni maxime delectantur, ita ut potius mori malint ante, quam potus illos detestentur. His itaque potis fit, ut humores coagulentur, ipsumque corpus cachecticum atque scorbuticum reddatur, imo multoties, uti historiae docent, vita priveretur. In hujus censum veniunt, præcipui mali istius fontes, fluvii montium Hungariæ varii, qui quippe glutinosam atque tenacem materiam vehunt, uti rerum Polonicarum Scriptores testantur, præsertim Stanislaus Solsky in Geometria & Architectonica Poloniae. Ex quibus fluvii aquam haurientes Incolæ istius Regionis in Plicam incidunt. Quæ causâ esse videtur, quamobrem ille affectus, vulgò & recte *Wetshel = Zopff* dicatur, quod imprimis ex usu aquarum Vistulæ Fluvii, Ungariam & Pocutium Provinciam Regni Poloniae interfluentis, oriatur. Non tantum vero hunc, verum & alios ex potu aquarum proficisci morbos, testimonio *Plinii* confirmari potest, qui *lib. 15. c. 3.* Germanici Cæsaris exercitum, ex aquæ fontis cujusdam potu, in communem morbum incidisse scribit, a quo intra biennium dentes deciderent, compagesque in genibus solveretur, quam solutionem Medici Stomacacem vocarunt.*

§. XIV.

Motus & Quies, quid in sanguine afficiendo valeant, unicuique obvium est, cui natura horum satis est perspecta. Namque de motu immoderato notandum,

dum, quod succum nervosum perdat, inque fibras musculosas eundem inordinate exprimat, unde vitia-
tus atque inordinatus circulus vitalis exoritur, quo
sic habente, via, variis concipiendis affectibus, eidem
sternitur. Hoc vero modo, etiam ipsorum musculo-
rum robur, atque vis frangitur, hincque relaxato
tono eorundem, fit, ut sanguis, minus recte, per par-
tes corporis quasvis, transire possit. Unde non tan-
tum stases variis in partibus, & infarctus vasorum
progignuntur, verum & ipse lentor in vasis, Plicæ
hujus Autor, contrahitur.

§. XV.

Nec alia ratione se habent Somnus & Vigilæ,
quæ si modum excesserint, non minus, quam modo
commemorata, morbos inducere, eosque augere, &
exacerbare possunt, juxta *Hipp. apb. 3. §. 2. & apb. 71.*
§. 7.

§. XVI.

Magnam quoque vim, alterandi sanguinem, ob-
tinent Animi Pathemata. Hoc enim varie commo-
to, varios affectus exoriri, experientia loquitur. Ita
enim ex amore, tabem, mentis alienationem, pervi-
gilium, oriri constat. Ira pariter & odium, non se-
mel febres pepererunt; a timore vero, Animi deli-
quium, ex gaudio, Syncopen, imo mortem subor-
tam fuisse, observationes Autorum, præsertim *Plinii*
l. 7. c. 32. 36. & 53. Liv. l. 2. c. 52. Th. Barthol. Hist. Anat. c. 4.
H. 76. atque alii, testantur. Ut itaque recte dixerit Avi-
cenna l. 1. c. 1. Animi Pathemata sunt de causis conservan-
tibus, & permutantibus dispositiones humani corporis. Un-
de Boetius lib. 1. de consolat. monet, dicens:

Gaudia

Gaudia pelle, pelle timorem, spemque fugato, nec dolor adfit.

§ XVII.

Tandem se offerunt Excreta & Retenta, quæ pari modo corpus nostrum alterare, ad morbosque disponere possunt. Nam sicuti naturæ legibus, ad vitam necessariæ sunt evacuationes; alvi dejectio, Urinæ profusio, transpiratio insensibilis, quo referas lymphæ ventriculi, intestinorum, pancreatis, atque bilis, per suos ductus, in intestina, exclusionem: ita e contrario, ubi horum quædam vel suppressæ, vel plane abolitæ fuerint, varios morbos, pro varietate evacuationis suppressæ, corpori inferunt. Efficit enim minus exacta secretio, ut sanguinis *diathesis*, a statu naturali deflectat, cum retentis partibus, quæ excerni debent, magis inquinetur idem, & morborum existat causa. Ut proinde non dubitandum, nostrorum quoque ægrotantium salutem, in transpiratione, aliisque evacuationibus liberioribus, consistere, cum id ipsum satis clare affectus ille, quem pertractamus, doceat. Quibus quippe evacuationibus naturalibus bene habentibus, bene habent actiones afflictorum, permanente quamvis ipso fomite morbi; iis vero suppressis, vel alio quocunque modo læsis, actiones quoque læduntur, & ægri variis symptomatibus, iisque gravioribus, divexantur. Quemadmodum ipsa ratio de hoc affectu, atque Autorum in observatione sedulitas docet, ex quibus quippe constat, eos, qui turpem illum, intricarumque pilorum cirrum sine molestia pertulerunt, hinc inde tantum, atque periodice, multo tamen minoribus cruciatibus afflictos; contra hos, qui fastidio deformitatis capillitium radendo,

C

plicam

plicam extirparunt, variis, iisque horrendis, symptomatibus, divexatos fuisse.

§. XIIX.

In Causarum numerum quoque referimus Contagium, quod quippe maximam meretur, praesertim hocce in affectu, considerationem; cum Plicam solo contagio, quotidie ampliolem fieri, certum sit, ita, ut non facile domum in Pocutio inveneris, in qua duo vel tres, eodem morbo non laborent. Quod vero ipsam naturam contagii attinet, certum omnino est, hic effluvia sane subtilissima locum obtinere, a morbo corpore emissa, quae contactu mutuo, viventibus corporibus, vel etiam fomite, communicantur. Haec vero effluvia, quamvis subtilissima, & mole minima sint, tamen effectu maxima censenda, cum corpus quod attigerunt, graviter alterent, & quasi fermentando humores, similem morbum producant. Unde etiam contagium, a Recentioribus, fermenti nomine venit, quia fermenti instar, quod farinae massam exagitat, succos corporis, in motus sui leges, adigit, & vitalem eorum motum, mixtionemque confundit. Ob hanc rationem multi sibi persuadere non possunt, tam subtilia effluvia, tantarum in corpore turbatarum initia esse; imo dixerim, multos hodie adhuc in dubium ea vocare, cum inprimis in sensu non incurrant, & tamen tam mirandos effectus edant. Sed qualiter hi impingant, satis experimenta, atque rationes comprobare possunt; cum a sensibus acceptae rationes in naturalibus, nullius fere usus, existant. Ipsa enim natura eosdem confutare videtur, cum con-

fvetu-

svetudo atqve lex hæc, qvasi eidem connata sit, ut per minima initia, succesivo gradu, magnos moliantur effectus. Luculenter hæc patent in feminibus parvis, sane magnarum generationum fundamentis. Quantilla hæc qvæso corpuscula, si cum mole, ex iisdem succrescente, conferantur? Ut non mirum existimem, qvoqve hæc talia effluvia subtilissima, tanquam miasmata, atqve seminaria morborum, in sanguinem admiffa, tantos quippe, & majores, quam vix credi possit, effectus producere.

§. XIX.

His causis naturalibus, adhuc alii supra naturales addunt, præsertim Incantationes, atqve maleficia, quibus hunc morbum posse excitari existimant. Hi proinde variis, quanquam vanis, permoti argumentis, varia in medium afferunt. Præsertim quod ibidem locorum, nimirum in Regionibus Roxolanicis, insignis maleficarum mulierum, forte etiam Virorum, numerus deprehendatur; ubi igitur desinit verus DEI Cultus, ibi debacchatur Diabolus. Porro, quod in Pocutio atqve Podolia, mali sive Plicæ hujus Patriæ, Religio admodum frigescat, & quod superstitiosis curationibus, plica laborantes, multoties leventur. Inde inquam, atqve ex aliis adhuc concludunt, a maleficiis eundem morbum induci posse. Quid tandem sit, parum attinet de his dixisse; adeoque omnibus suas præconceptas opiniones, relinquimus. Licet vix crediderim, posse Diabolum tanta efficere, si ipsam constructionem corporis considerem. Malum enim, in ipsa sanguinis massa, hæret, cujus circula-

latio & morus, an in potentia Diaboli sit, adhuc dubito. Neque tamen exinde negaverim, cirrum quandoque incantationibus, si quæ dantur, atque præstigiis Diaboli inferri posse.

§. XX.

Causam proximam hujus mali, constituimus sanguinis acrimoniam scorbuticam, viscosam valde atque glutinosam, quæ quidem primitus a vitio aëris, ac præsertim potu, prædictarum aquarum fluvialium, contracta, progressu temporis fermenti instar, in corporibus impuris, accedentibus imprimis variis causis, aucta, & contagione etiam serpendo, atque a Parentibus ad liberos translata, multiplicatur. Varia id ipsum comprobant phænomena, in eo affectu occurrentia, a jam dicta causa nobis deducenda. Inde enim non tantum illi acerbi dolores, atque cruciatus variarum partium, membrorum conglobationes, & convulsionones; verum etiam ipsa pilorum in gorgoneos & inexplicabiles nexus, complicatio, & exhalationes lentæ, ortum ducunt. Priora acrimoniam, pro sua causa effectrice, impingentem vel in periosteum, tendines, vel nervos; posteriora visciditatem, spurciciei fomitem, agnoscunt. Ut proinde non audiendi sint, qui causam hujus mali, venenum constituunt, ducti ea ratione, quod methodica curandi ratio, frustra sæpe, in usum vocetur, cum experientia testetur contrarium.

§. XXI.

§. XXI.

Imprimis considerationem meretur symptoma illud grave, pilorum intricatio. Antequam vero aliquid certi de eo statuamus, ipsam Naturam, atque constitutionem pilorum, considerabimus. De his nobis in mentem veniunt verba Magnif. D. *Job. G. Bergeri*, Potentiff. Regis Poloniar. Archiat. & Profess. Primarii celeberrimi, Præceptoris in æternum deverendi, in *lib. de Nat. Humana* conscripto, quæ ita se habent: *Sudoris excretioni non parum pili conducunt, qui tanquam plantula sui generis, actis in substrata cutis pinguedine, veluti amico solo, radicibus, ex folliculo ovali, eiqve concluso molli & glutinoso bulbo, per prædicta perspirationis & sudoris vascula, in tenuissimas fistulas, & canales quasi graciles, extra superficiem corporis productæ, afflatuque aëris siccate, germinant, & expirationi unctiosa oleosæque pinguedinis materia, & muniendis partibus arceudisque injuriis aëris, ut & decori corporis serviunt.* His namque verbis eleganter pilorum structura & usus delineatur, & suffragatur quoque huic *Borellus obs. 23.* quando dicit, *capillos concavos, & ut canales pertusos, ac perforatos esse, adeo, ut pennas adium repræsentent, & in iis varii colores & quasi irrides appareant, quam cavitatem pilorum, adstruit quoque Panarolus, Pent. IV. obs. 34.* Perspecta itaque natura eorundem, facile de complicatione pilorum, eorumque fordibus, judicare possumus. Viscidi enim humores, in corporibus impuris copiosius collecti, ob pororum cutis constipationem, quæ in locis frigidioribus frequens esse solet, per peripheriam corporis minus commode & parcius eji-

ciuntur. Hi vero non tantum reliqvas inquinant partes; sed & radicibus pilorum adhærescunt, ibi viam inveniunt, atqve in morem fuliginis exhalant, & lentore suo pilos glutinant, ac funiculos inextricabiles efformant.

§. XXII.

His itaqve jam prælibatis, videndum quid prognosis ferat. Quamvis vero satis molestum atqve anxium malum, Plica illa sit, tamen criticum quid esse, ortum ex materiæ vitiosæ e corpore expulsionem, recte *Sennertus* judicavit. Nihil enim periculi affert ægro plica, sibi relicta, & sæpe sine omni dâmmo, ad mortem usqve circumfertur, & hi fere soli, quamquam pauci admodum, convalescunt, qui capillitio novacula intacto, malum perferunt, usqve quo flagella illa crinium intricata, sponte decidunt. Contra experientia testatur, eos, qui fastidio deformitatis capillitium deradunt, oculis capi, aliisque gravioribus fluxionibus gravissime exagitari, ac torqveri. Namque hic notandum, quod, uti plurimorum morborum salus, in excretionem atqve secretionem materiæ vitiosæ, per corporis emunctoria, consistit, sic quoque & hujus curationem in eo versari, nulli dubitamus. Hinc in principio adveniente jam plica, dolores atqve symptomata graviora sopiuntur; contra vero, ubi novacula capilli derasi fuerint, & pori cutis ab ambiente aëre constipantur, vitiosæ materiæ excretio per eos cessat, atqve ideo gravissima symptomata, supra laudata, proveniunt. Ut proinde certum sit abscissionem cirri, ante causæ ablationem, mortem minari,

nari, quæ sæpe cito sequitur, ut testantur *verba Mocchi, a Sennerto* allegata, quæ sic se habent: *Nuper dum temere quidam hujusmodi tricas absecat vetula, tridui decursu, supremum clausit diem.* Longum tamen, atque chronicum Plicam malum esse, omnibusque ætatibus commune, magis vero juvenili, atque senili molestum, experientia docet. Aliquando ipsius naturæ beneficio, cessisse malum hoc, observatum est, quando nimirum, causæ occasionales, causam proximam conservantes, remouentur, ubi visceri & acres humores, per pilos exhalando, continuato satis diu circulo vitali, eliminantur, ut deinde Plica sponte sua decidat, immunisque ab omni malo, homo, ad usque diem obitus sui, vivat. Quamvis vero hic affectus curationem vix admittere videatur, cum generosis auxiliis, purgatione nimirum & venæ sectione, juxta nonnullos, exasperetur, ut merito de illo dici possit, quod *Hippocrates* de cancro occulto scripsit; melius nimirum esse si non curetur, cum curati citius pereant; speramus tamen fore, ut, si causarum recta habeatur ratio, valetudinem ægri recuperent.

§. XXIII.

Cum vero morbus ille, in sanguinis vitiosa dispositione, eaque viscida potissimum & acri, consistat, in curatione eo respiciendum est, ut lentor, atque acrimonia illa humorum, tantorum gravium symptomatum autor, dissolvatur, eliminetur, atque temperetur, tonusque musculorum, atque fibrarum motricium, quæ omnino & hic laborant, restauretur, & chyli purioris non minus, quam sanguinis elaboratio
 promo-

promoveatur. Quare pro ratione causarum, variat curatio; & imprimis raro statim ab initio, ad ipsam venæ sectionem, atque alia evacuantia universalia, deveniendum, nisi indicantia ea svaserint, quibus deficientibus, frustra eadem adhibentur, & malum exasperatur. Ob hanc enim rationem generosa illa auxilia, huic morbo maxime videntur esse adversa, quia communiter vel intempestive, vel non secundum indicationes, ab Autoribus fuere administrata. Hic enim illud tenendum, quod supra monuimus, hunc affectum maximam affinitatem habere cum ipsa cachexia atque scorbuto, in quibus affectibus, & imprimis cachexia, venæ Sectio non semper locum habet, quia ibi vires imminuit magis, & circulum sanguinis reddit tardiozem. Judicium persimile quoque de Purgantibus ferimus, quæ intempestive exhibita, malum deterius reddunt, imprimis si nulla alterantia ante fuerint præmissa, & fortiora, in defectu virium, propinentur. Tantum nihilominus abest, ut venæ sectionis atque purgantium usum, in totum rejiciamus in plica, ut potius utrumque omnibus modis commendemus, modo cum ratione adhibeantur, & ad vires, ætatem, causas atque symptomata, & reliquas circumstantias Medicus respiciat. Qui enim in genere hæc remedia, in hoc affectu taxant, communiter cæco impetu sequuntur autores, sæpe parum firmatos, & nimis credulos, quos eo nomine non sequimur.

§. XXIV.

Cum enim remedia melius operentur, si prius canales alimentorum, præsertim, ubi cruditatibus abundant,

dant, deterfi fuerint, idcirco, mox in principio, præ-
 miffo leni digestivo, ex elixirio proprietatis, imprimis
 antiscorbutico, vel fale digestivo five radice ari
 &c. lene emeticum, vel laxans, juxta *Julii Cesaris
 Claudini* methodum, qvi, in sua *Empyrica Rationali
 lib. VI. c. 4. p. 391.* varia præfcribit, propinari poffe cre-
 diderim, ut fordes, in primis viis hærentes, elimi-
 nentur. Quia vero non promifcue quodlibet emeti-
 cum atqve purgans fumendum, felectu opus erit, ubi
 præ omnibus, e numero vomitoriorum, commen-
 damus Tartarum emeticum, ad gr. ij. iij. l. iv. pro
 ratione ætatis, & circumftantiarum aliarum, cum pau-
 cis granis antimonii diaphoret. lap. cancrorum vel
 etiam folo faccharo commixtum. Vel fi ille difpli-
 ceat, in ufum vocari potefi Syrupus emet. *Zmölfferi*
 correctus, in Appendice p. 10. ab Autore defcriptus, qvi a
 fcrupulo femis ad drachmam j. vel ij. imo amplius quo-
 que, habita ratione ætatis, fecure propinari potefi, cum
 aqua menthæ, vel alio convenienti vehiculo, & qui-
 dem fucceffive, atqve per vices, unum cochlear poft
 alterum, exhibendo, donec vomitus feqvatur, quo
 oborto, refidua pars feponatur. Elegans quoque & mi-
 tius adhuc eft emeticum, Oxyfaccharum emeticum
Ludovici, quod habet p. 169. pb. mod. & adultis a drachmis
 ij. ad ufque unciam femis exhibet, quodque ab Excellen-
 tifimo Domino Præfide commendatur. Inter purgan-
 tia vero mitiora, five potius laxantia, laudem meretur
 mercurius dulc. quippe in hoc affectu præfantiffimus,
 cum in figni vi lympham diffolvendi polleat, ad gr.
 XV. vel fcrupul. j. exhibitus, cumque paucis granis
 refinæ gialappæ, vel scammonij, maritatus, atqve in
 D pilu-

pilularum formam redactus. Hæc tandem excipiunt ipsa infusa laxantia medicata, facta ex rad. quinque aperientibus polypod. hellebor. nigr. præparat. cort. rad. capparum, tamarisci, Wintherano. Herb. card. bened. fumar. cent. minor. chamædr. ceterach. Flor. borrag. Fol. fenn. f. ft. rhabarb. opt. flaved. cort. citr. cinamom. acut. sem. foeniculi anisi, pasfulis minoribus contusis, addito sale tartari. Quibus incisis & contusis, affundi possunt mensuræ aliquot vini albi, cum aqua cichor. diluti, quæ dum per horas 24. steterint, mane aliquot uncia, in septimana aliquoties repetendo, assumi possunt. Hoc enim modo non tantum serosa colluvies per inferiora educitur & acrimonia diluitur, verum & sanguis oleosis blandis atque aromaticis perfunditur particulis.

§. XXV.

His itaque præmissis, vel si necessitas non requirerit omisis, ad ipsam causam extirpandam progredimur, & ea commendamus, quæ viscidos humores dissolvunt, motum eorum restituunt, & transpirationem reddunt liberiores. In horum censum veniunt salia alcalia, tam fixa, quam vol. simpl. & oleosa, interque ea spiritus salis ammoniaci, sp. cornu cervi, liqv. cornu cervi succinatus, sp. bezoard. salvol. oleosum, nec non elix. propriet. vol. c. spir. salis amoniaci confectum, & omnia salia fixa lixiva. Si vero acrimonia excedat, in usum etiam vocari possunt ipsa terrea, & abforbentia marina, atque martialia, quæ nimirum cum abforbentibus humorum blande promovendi, virtute gaudent. Hinc parari possunt pulveres ex
lap.

lap. cancr. matr. perlar. antimonio diaph. pulv. marchion. cinnabari C. C. phil. perl. præparat. ebor. f. igne unicornu fossil. & marino, coralliis, antimonio martiali cachectico, crocis martialib. rite paratis, aliisque hujusmodi, quibus interdum tantillum laud. opiat. addi potest, præsertim ubi cruciatus variarum partium, fere intollerabilis, vel acrimonia excedens, peccaverit. Vel si una spiritus vol. adhibitos volueris, idem præstabunt, modo essent. anodyn. in refracta dosi iisdem addideris. Huc quoque pertinent Tincturæ martial. selectæ inprimis tinct. martis pomata, liq. martial. essentia Vitrioli martis &c. quæ commode cum amaris & Stomachicis miscentur, cum merito etiam ad ventriculum hic sit respiciendum.

§. XXVI

Neque tamen negligenda sunt decocta lignorum, quia non tantum viscidos humores dissolvunt, corpusque ad blandum sudorem, materiæque vitiosæ excretionem disponunt, perque emunctoria cutis, atque renum, eandem educunt; verum etiam acrimoniam temperant, quatenus eandem diluunt, & quæ data via eliminant. Fieri proinde possunt, ex rad. angelic. acori, sassapar. lig. lentisc. gvajaco, sassafir. herb. chamædr. chamæpyt. major. &c. quibus nonnulli addunt antimonii crudi in peria ligati portionem, & infundunt prius per 24. horas, ac demum lento igne in fictili bene recto, coquunt, ad medias. Colaturæ vero uncia aliquot, bis, vel ter in die, vel si necessitas exposulaverit pluries exhiberi, & postea quandoque sudor blandus potest expectari, vel simi-

nus placuerit, in transpiratione tantum liberiore, corpus conservari. Exhiberi autem in qualibet hujus decocti dosi possunt, eff. lig. f. fumar. compos. vel Tinctura antimonii tartarifata, ut & antimonium diaphor. simpl. l. martial. & cinabarina vel etiam supra laudata salia vol. Nec tamen in una alterave dosi medicamentorum selectorum est subsistendum, sed tam diu continuandum, quoad causa morbi penitus convicta fuerit, quæ si probe observentur, non dubito, quin tantum malum superari possit.

§. XXVII.

Externe, varia quoque linimenta, atque unguenta, autores commendant, quibus plicam varie tractant, & extirpare gestiunt. Verum, si dicendum quod res est, videntur magis illa obesse, quam prodesse, cum ex variis inviscantibus, præsertim pinguedinibus consistant, ita ut plicæ illita, poros corporis constipando, gravius malum reddant, cum in pororum apertura, ægrorum salus consistat. Accedit quod crinium intricatio tantum sit symptoma morbi, atque causæ effectus; jam vero non tam symptomati, quam causæ potius est occurrendum, cum hac ablata, tollatur quoque effectus, ut non sit, cur de hoc pilorum vitio, sibi relicto, nimium simus solliciti. Ne tamen illud ipsum plane neglexisse videamur, sequens unguentum ad plicam, frequenti usu probatum, una cum internis, commendamus. Rec. Lycopod. & rad. bryon. p. æq. adipis erynac. q. f. ex his tribus optime commixtis in vase vitreo, bene obturato, & coctis in MB. per horam F. ungv. quo rad. capillitii in capite complicati, & loca affecta,

fecta, maxime articuli dolentes, bis in die inungantur. Vel si correctius desideres: Rec. Ung. enulat. c. mercurio unciam j. pulveris lycopod. bryon. a ana drachman. j. l. ij. olei tartari per deliquium semi drachman. m. F. l. a. Ungv. Hoc priori præstantius est vel tantum propter defectum unctuosæ materiæ, poros enim apertos, in quibus salus agrotorum consistit, reservat. Non vero singulis diebus in usum est vocandum, aut toti capiti applicandum, sed sufficit si semel in septimana, & tantummodo radicibus plicæ parce ilinatur.

§. XXVIII.

Præter jam laudata vero remedia, nihil præstantius esse creditur, quam muscus terrestris clavatus, sive Lycopodium, quod Poloni Cingulariam & Plicariam nominant, & ad experientiam provocant, cum Rutheni potissimum, ac Lithvani, plicam eodem existimant. Luxuriat vero planta hæc in Polonia, & ad 7. 8. imo 10. ulnas excrescit, observante *Theoph. Bonero*, licet etiam in nostris Regionibus, & imprimis in Saxonia, reperiatur. Infundunt autem incisam hanc plantam, decocto brançæ ursinæ calenti, & post unam vel alteram lenem ebullitionem, addunt aliquid fermenti panis siliginei, atque in loco calido seponunt, ut fermentescat. Hoc decocto, non tantum interne utuntur plica laborantes, & quidem vel sibi relicto, vel cum ovis recentibus, in forma jusculi; sed & externe illud ipsum adhibent, & caput eodem calefacto lavant. Interdum ut saturatius reddant idem, denuo recentem plantam in eodem decocto coquunt,

& ſalviam atqve roſmarinum addunt, quæ liquoris colorem obſcure rubrum conciliant. Vid. de hoc remedio *Mart. Bernard. a Berniz obſ. 52.* & de planta ipſa, *Ephemerid. Germanor. decur. 1. a. 1. obſ. 97. p. 198. ac Ettmüll. Schröder. dilucidat. p. 144.* Videtur vero hæc planta viribus gaudere antiſcorbuticis, ob partes ſulphureas copioſas, cum coni Pinei, qui decoctum antiſcorbuticum fundunt, farinam inflammabilem, ut lycopodium, largiantur. In noſtris tamen regionibus, minus eo fine, in uſum vocatur Lycopodium, cum antiſcorbutica magis ſelecta, poſſideamus. Hujus itaqve loco ſvaderem, pro interno quidem uſu, infuſa & eſſentias antiſcorbuticas, ex cochlearia, fumar. naſturt. aqv. raphan. ruſtic. flor. naſturt. indici &c. paratas, quo nomine Excell. Dominus Præſes commendat eſſentiam vitrioli martis antiſcorbuticam, cum ſpiritu cochleariæ paratam, atqve elix. propriet. antiſcorbuticum. Externe vero lycopodium, cum cephalicis ſupra laudatis, ad lotiones capitis, roborandi quoque fine, commode recipitur. Si vero jam laudata fruſtra in uſum fuerint vocata, ad mercurialia eſt accedendum, quibus nonnulli fuere reſtituti, quod *Theoph. Bonetus in medicin. Septembr. collat. l. 1. ſect. 1. c. de plica*, teſtatur, quam ſcorbuticis mercurialia alias, non ſemper cum fruſtu exhibentur.

§. XXIX.

Diatam quod concernit, illa ex ſupra dictis repeti poteſt. Imprimis vero angve pejus & cane vitetur aër craſſus, nebulofus, alioque modo corruptus, quia adhuc magis humores inviſcat, atqve coagulat.

gulat. Cibus sit *ευχυμ* και *ευπεπ*, fucci & saporis laudabilis, quique exigua quantitate sumtus, multum nutriat. Condiri autem potest variis herbis, aromatibus temperatis, resolventibus & antiscorbucis. Quia vero malum hoc potissimum aquis impuris atque limosis in Polonia, & locis supra laudatis, ortum suum debet; idcirco abstineant aegri a potu istarum aquarum, ne malum foveatur, & si possibile, ad cibos quoque & potum ordinarium coquendum illas, non recipiant. Transpirationis quoque libera habeant rationem, & causas in antecedentibus enumeratas, eo, quo tantum poterint conatu, vitent, quo modo, juvante DEO, malum profligabunt. Quare nil jam restat, quam ut gratias agamus SS. Trinitati pro concessis viribus, quo facto huic dissertationi a nobis imponitur

F I N I S.

In pag. 4. lin. 14. pro *in leg. ex* & mox in seq. lin. pro *ex leg. in*
pag. 22. lin. 10. pro *decidant lege decidat.*



177

PROLOGUS

In nomine Domini Amen. Quia in hoc seculo
 sunt homines, quos dicitur inanis, in
 terra habitare. Quibus in omni parte
 tribulationes et contritiones, et
 dolor. Quia vero in terra hoc habitant
 homines, in Polonia, et locis alijs
 locum habent debet; sed non debent
 habere curam de his hominibus, et
 de his diebus, et horum ordinum
 hinc non potest. In his hominibus
 sunt tribulationes, et curas in
 antecessoribus omnibus. In hoc
 ergo tanto potest curam, et in
 de hominibus, et de his diebus. Quia in
 hoc seculo sunt homines, quos
 dicitur inanis, in terra habitare.

F I N I S

In hoc seculo sunt homines, quos
 dicitur inanis, in terra habitare.



Ulrich Henberg, Diss., 1702 S-2-
1703

ULB Halle

3

003 949 826




f

1702

1703







7/1
1402
308

2. D. B. V.
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE REGIO AC DOMINO,
DN. FRIDERICO AVGVSTO,
ELECT. SAXON. HEREDE.
DISSERTATIONEM INAUGURALEM,
DE
PLICA POLONICA,

Germ.
WESSESSESS/

EX AUCTORITATE
Gratiosæ Facultatis Medicæ,

PRÆSIDE

DN. PAULO GOTTFR. SPERLINGIO,
Med. Doct. Anatom. ac Botan. Prof. Publ. longe cele-
berrimo, nec non Archiatro Principis Servestani
splendidissimo,

Domino ac Patrono suo in aeternum devenerando,

PRO LICENTIA,
SUMMOS IN ARTE MEDICA HONORES, INSIGNIA
AC PRIVILEGIA
DOCTORATUS

LEGITIME CAPESSENDI,

A se conscriptam, publico Eruditorum examini subijcit

IOANNES HUNZESCH/

Plesnensis Silesius,

Ad d. Septembr. A. O. R. c1o 1o ccII.

IN AUDITORIO MAIORI,
HORIS ANTE ET POST MERIDIEM STATIS.

WITTENBERGAE, Typis CHRISTIANI GERDESII.